



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Druzbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Consid. 18. De Resignationis, fervoris, efficacitatis, perseverantiæ
soliditate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

CONSIDERATIO XVIII,

*De resignationis, fervoris, efficacitatis,
perseverantia soliditate.*



Uatuor, quæ in hac Consideratione veniunt considerata, non solum virtutes sunt, sed etiam aliarum reliquarum virtutum solidationes. Quare etsi fortè in earum descriptione erimus adstrictiores, in earum tamen praxi, viri spirituales atque perfecti, debent esse quàm prolixissimi.

Et de Resignatione quidem neque uno loco, neque levia, neque pauca prædicta sunt, ut vix aliquid addere necesse sit in præsentia; maximè cum hac de re alibi, non semel etiam tractatum sit. Nonnulla tamen hinc expendisse, operæ pretium erit.

Resignatio, & conformitas cum Dei voluntate, & indifferentia idem sunt, & idem diversis nominibus significant. Hæc virtus tam necessaria est, quàm nulla super illam. Quippe etiam caritas non est aliud quàm conformitas hæc. Amare enim Deum, est Deo bene velle. Bene velle Deo, est hoc velle Deo, quod Deus vult; qui quidquid vult, sibi & propter se ipsum vult. Velle quod vult Deus, est habere voluntatem cum Divina conformem. Conformitas igitur caritas est. Hæc Virtus est in omni
vir-

virtute, immò in omni actione, necessaria, ut bona sit. Hæc virtus etiam in laude & caritate & servitio Dei necessaria est, ut nec plùs, nec aliter, nec aliis viis occasionibusque velimus Deum laudare, amare, colere, quàm quibus vult Deus. Hæc virtus etiam ad seipsam necessaria est, ideo enim debemus conformare nos voluntati Dei, quia vult Deus; nec servire debemus Deo, voluntatíve Dei, nisi ad voluntatem Dei.

Hæc conformitas cum voluntate Dei, tam arcta & firma esse debet, ut faciat hominem non posse aliud velle vel nolle, quàm quod vult vel non vult Deus; & quidem ideo, quia vult & non vult Deus. Hæc conformitas ita absorbet voluntatem nostram in divinam, ut quodammodo transeat in ipsam, non substantialiter quidem [quia hoc est impossibile] sed tamen unitivè. Quomodo aërem istum ita penetrat lux solis, ut aër lux esse videatur; quomodo ignis penetrat ferrum, ut ferrum ignis esse videatur; quomodo ingens vas vini absorbet guttam aquæ, ut aqua in vinum transisse videatur: sic etiam voluntas hominis, conformitate & conformandi assiduitate, sic transit in divinam, ut penè ipsa divina esse videatur, (quò fit, ut in ea spes & fiducia illa, de qua supra egimus, fundetur.) Unde etiam sic eandem nostram voluntatem exaltat, ut sicut illa in divinam, sic vicissim divina in illam commutetur: adeò ut Dei voluntas in potestatem & regimen, arbitriúmque se tradat voluntati humanæ, sibi conformatæ, serviátque illi, ut jam non seipsam, sed voluntatem timentium se facere dicatur. Nempe

per hanc conformitatem, usque adeò purificatur & dignificatur voluntas humana (& quidnî dignificetur; cùm sit conformata divinæ, quâ nihil est dignius?) ut non dedecet Deum, hoc velle, quod voluntas humana vult. Et sanè non potest dedecere, siquidem voluntas humana nec scit, nec vult, nec potest aliud velle, quàm quod voluntas divina vult. Ita ergo miro modo & voluntas divina humanam facit suam, & humana divinam. Quæ quidem res tanta est, ut ad hanc solam [quod aliàs dixi] omnis vitæ spiritualis labor collimet: tanta est, ut nisi quis ad eam sive in hac, sive in alterâ vitâ pervenerit, ad Deum facie ad faciem non sit admittendus videndum. neque quidquam in nobis, seu dum vivimus, seu dum morimur, seu dum in purgatorii pœnis detinemur, Deus expurgat, quàm irrefignationem, seu non plenam cum sua Sanctissima voluntate conformitatem, aut hujus conformitatis impedimentum; à quibus, dum expurgamur, rectâ in cœlum convolamus, quoniam mundo corde esse invenimur. Mundum autem cor Deum videt: quid autem illo corde mundius, quod est cum ipsius Dei corde unum, & cui cordi divinum cor non dedecet conformari & uniri?

Denique tanta res hæc est, ut cœlestis gloria Beatitudóque aliud non sit, quàm hæc voluntatum nostrarum in Deum absorptio & transfusio æterna: quæ hîc ex parte inchoatur & degustatur, ibi autem consummatur, & æternitatē ipsâ terminatur.

Et quis nolit hanc Beatitudinis participationem in hac vita præcipere? nullus certè qui sapit.

Sed

Sed quis sapiens & intelliget hæc? Gens absque consilio est, nec in sæculo tantum, sed etiam in Religionibus ipsis; etiam inter eos, qui perfecti esse, sibi & aliis videntur. Abscondita hæc sunt ab oculis eorum, & nec capere, nec experiri dignantur; peregrinum, nescio, quid metuunt in hoc genere scientiæ atque exercitii: quia perfecta sectari, & perfectionem possidere periculosum sit, & non magis hære in propriæ voluntatis dumetis, servire propriis designationibus, humanis rationibus regi, abundare in suo sensu sit periculosum, quia tepidorum proprium.

Hujus conformitatis jugum nemo potest excutere, sed sive velit, sive nolit, debet divinæ voluntati subesse. Dei enim voluntas, absoluta Domina & Regina omnium est; in cujus ditione cuncta sunt posita, & nemo ejus potest resistere potestati ac ordinationi. Quidquid illa vult, fit: quidquid non vult, non fit: adeò ut nullum sit verius signum, quòd aliquid voluerit fieri Deus, quàm hoc, quia factum est: invito enim, inscio, nolente Deo, factum non est. Quare etiam ii, qui resistunt voluntati Dei, non resistunt revera, sed potiùs obsequuntur; resistunt tamen in suâ improbâ voluntate, ob quam etiam puniuntur. Item etiam ii, qui impediunt Dei voluntatem ne fiat, non impediunt, nisi volentem impediri, & non fieri: immò non impediunt sed promovent, atque adeò perficiunt. Illa enim ipsa, quæ hoc vel illud voluit fieri, voluit etiam (ne fieret) in eo ipso ab his impediri; quod & factum est, sed ad facientium, hoc est, impediendum pœ-

nam, quia impediverunt, non ut per hoc servirent Dei voluntati, sed potiùs ut obsisterent ejus potestati. Miro itaque modo (ait Bern. ep. 11. in medio) æterna lex fugitivum suum & posuit sibi contrarium, & retinuit subjectum, dum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit: subjectus potestati, submotus felicitati. Suspiciabantur fratres Josephi; quòd ipsis esset fururus Joseph Dominus; id à Deo per somnia præsignari audiebant, metuebant, impedire laborabant, sed quomodo? ipso impediendi conatu promoverunt consilium Dei, nam ex suo vendiderunt fratrem, ne dominaretur; ex divino autem vendiderunt, ut dominaretur. Ita ergo malitia fratrum servivit Dei voluntati per hoc ipsum, per quod conabatur contraire Dei voluntati; propter quod & illi se non subduxit, & ut mala punitaque fuit. Atque non aliter contingit in omni peccatore: qui dum non vult facere unam Dei voluntatem, sibi ad salutem; facit peccando, alteram, ad damnationem. Insaniunt ergo, quicumque jugum divinæ voluntatis excutere conantur: nam per ipsum excutiendi conatum illi eidem subjugantur, sed subjugantur invitì, proptereaque perversi ad pœnam; qui nolunt volentes, proptereaque recti, subjugari ad vitam. Vita namque in voluntate ejus, sicut mors in contemptu voluntatis ejus. Ex quibus omnibus concludat perfectus, conformationem cum Dei voluntate, talem esse virtutem, ut nulla sit ei similis. Nemo potest illâ carere: tam bonus quàm
mà-

malus habet illam necessariò, quia necessariò subditur quisque eorum Dei voluntatis arbitrio: sed qui eam habet volens, hic bonus est, & ei virtus est; qui eam habet nolens, hic malus est, & ei peccatum est. Eliget ergo qui sapit, conformari Dei voluntati, per omnia & semper, volendo, ne cogatur conformari nolendo. Voluntaria enim conformitas, erit omnis & consummata sanctitas. Voluntaria verò difformitas, & coacta conformitas, erit omnis & consummata impietas. Et hinc etiam advertant illi, qui hujus conformitatis studium suspectum habent, quòd illud non suspectum habere, sed suspicere debeant; non contemnere sed commendare, non negligere, sed affectare & exercere teneantur: ne & ipsi, dum ei conformationi studere sponte ad salutem negligunt, per hanc ipsam negligentiam in eo studio, ignari & coacti exercentur, non dico ad damnationem, dico tamen, ad tardam salutem & perfectionem.

Fervor spiritûs, est jugis proficiendi in virtute conatus, cui semper modicum videtur id, quod habet, id, quod facit; & ideo semper aliud (quàm est habet & facit) appetit, ad ulterioraque se se extendit, quod nisi faciat, continuò deficere, id est, fervor non esse incipit. Sicut enim ignis nunquam contentus est hoc comburere quod comburit, sed perpetuò vicinam in materiam transit, & eam in se se rapit; quàm primùm non habet, quò transeat aut in quod agat, & quod in se transmutet, statim etiam deficere incipit: sic & fervor spi-

ritus nostri, aut semper proficit, aut certe quam
 primùm non proficere, statim deficere incipit;
 adeò, ut ipsum non proficere, sit illi deficere. Sic
 naviganti contra impetum fluvii, hoc ipsum est
 descendere cum fluvio, quod est non ascendere
 contra flumen: ubi enim desinit contra flumen per-
 gere conari, ibi statim rapitur deorsum cum flumi-
 ne, etiamsi ille nihil ad descensum suum collabo-
 ret. Sed satis hoc ipso collaborat ire deorsum,
 quia non conatur ire sursum. Sic ergo etiam sa-
 tis hic facit ad deficientium in spiritu, qui
 ne deficiat, non impedit proficiendi conatu.
 Per hoc enim ipsum, quòd non proficit, aliquid
 utique in quo proficere potuit, perdit: quòd si per-
 dit aliquid, igitur deficit, in hoc saltem quod per-
 didit. Quis verò potest asserere, se modicum quid
 perdidisse tunc, quando licet potuit, non profe-
 cit? quis mensus est gratiam illam, quam neglexit,
 sed Divina voluntas providerat secururam, si non
 neglexisset profecisse? Et quia res hæc maximi est
 in vita spirituali momenti, operæ pretium est, eam
 adhuc paulisper perpendere. Igitur si in viâ Dei,
 non progredi est regredi, (ut & vidimus, & vulgò
 Sanctorum sensus est) igitur non progredi uno die
 in viâ Dei, est regredi uno die, & non progredi
 duobus diebus est regredi duobus diebus, & non
 progredi uno anno, est regredi uno anno, & non
 progredi multis annis, est retrogredi multis annis.
 Et quid mirum nobis esse solet, multos ad seculum
 regredi, qui bene in Tyrocinio versati fuerant?
 Biennio Tyrocinii progressi sunt, postea per bien-
 nium

nium

nium sunt non progressi, & fortè per aliud, igitur per illa omnia biennia sunt retrogressi, igitur usque ad portam, qua ingressi fuerant, sunt regressi, tandemque & egressi: quare? quia non progredi, est regredi. Atque etiam hinc est illud quod videmus crebrò, antiquos Religiosos esse deteriores Tyronibus, etiam seipsis dum Tyrones erant. Homo dum carnaliter nascitur, nascitur minutus; sensim tamen crescit in virum. Homo spiritualis contrà, nascitur magnus dum nascitur, postea sensim decrescit, ita ut ex magno fiat minutulus, & 100. annorum licèt, puer tamen moriatur. Cur ita? quia non est progressus, ideo regressus, ex magno factus est parvus. Quia ergo rarò fit, ut veterani Religiosi progrediantur, necesse est regrediantur, & pejores Tyronibus, pejores suo ipsorum tyrocinio inveniantur. Ex quo fit, ut optandum sit Religiosis, tanto cum spiritu saltem mori, cum quanto Religioni sunt nati. Fit etiam, ut oporteat, Religiosum & solidum in virtute hominem semper progredi, semper ad ulteriora conari. Quam ob causam verè solidus Religiosus, semper vult fervere, semper vult in fervore crescere, nescit minutos profectus vocare, nescit nôsse, quia omnes maximi tenetur aestimare, & ideo nullus ei parvus, nullus negligendus occurrit: alioqui nec solidus ille Religiosus, neque spiritus ejus fervens erit. Superbi spiritus est, non ferventis, magna lucra expectando, modica negligere; ferventis est, modica lucrando, ad majora se idoneum & capacem facere: *qui enim in modico fidelis est, super multa me-*

retur constitui. Matth: 25. 23. &c. Fervens spiritus modica lucra fervore adæquat maximis ; & ideo non exspectat maxima : tepidus verò spiritus , magna scilicet lucra exspectat , ne cogatur multum laborare , seu fervere ; unde etiam tepiditate sua , quæ poterant esse per fervorem maxima , facit vix minimis comparanda. Sicut enim unus actus fervens , pro multis remissis facit ; ita contrà multi actus tepidi , unum ferventem non adæquant. Sed neque tepiditatis mala , neque ferventis spiritûs bona enumerandi , finis hîc. Fervoris Spiritûs soliditas non est alia quàm semper fervere ; Sicut fluvii hæc est natura , fluere semper & currere ; ignis hæc est natura , semper agere ; motûs natura , semper moveri aut movere. Fervor enim spiritûs , fluvius est. hæc imiterur , ut sit id quod est.

Efficacia suo ipsius nomine declarat , quid sit : ab efficiendo dicta est : facere enim facit , in quo est. Hæc est virtutis vita , quia virtuti , in actione omnis est vita. Nec quisquam virtutem quærit aut habet ob aliud , nisi ut agat ; cùm virtus non agens , non sit virtus , sed optimum in virtute sit operatio sive opus , perinde ut in nuce optimum est nucleus. Actio ergo , operatio , efficacia , virtutis est nucleus , vita , finis , optimum. Proinde si desit efficacia , deest in virtute , quod est optimum ; cortex est , nucleus non est. Religiosis præsertim perfectioribus nihil est æquè vitandum ac inefficacia , quâ rarus non laborat. Quis est enim perfectorum , qui omnia quæ scit , facit , qui omnia , ea perfectione , qua scit aut potest , facit ? qui eo conatu , quo
scit

scit vel potest, omnia facit? qui tam perfectè omnia facit quæ facit, quàm facienda scit? qui intellectum affectu, affectum effectum assequatur? qui pro mensura gratiæ ipsi communicatæ, devotioni quærendæ & meritis parandis, & virtutibus perficiendis insistat? qui, uno verbo, nihil negligat, sed pro mensura gratiæ, pro mensura habitûs operetur? Et tamen habitibus perfectiores actus ut sint, si mereri debent, nonnulli requirunt: quod si falsum est, autoribus relinquimus, zelum tamen commendamus: & ut hoc non requiratur quod dicunt, possibile tamen est, perfectiores ac intensiores habitibus actus esse, & quotus est ex perfectis, qui curat esse? Ergo rarus est etiam perfectorum, qui inefficiæ morbo non laboret; qui morbus partim est innatus defectuositati humanæ, partim negligentia ac tepori familiaris. Vir fervens ac solidus, semper ea, quæ facienda sunt cogitat: cogitata autem efficere curat, & à Deo frequenter juxtà ac instanter postulare non cessat, ut sciat, velit, possit, faciat voluntatem Dei. Religiosi enim rari sunt, præsertim in Societate, qui peccent inscientiâ vel impotentiâ faciendorum: at frequentissimi qui defectu voluntatis efficaciis peccent. Rari sunt item, qui ab hoc genere peccati se extricare sciant, rariores qui curent. De die in diem differunt, & per hoc nesciunt, quòd quotidie sibi difficiliorem efficaciam reddunt. differendo namque insuefaciunt se negligentia, cujus consuetudo tantò difficiliùs expugnatur, quantò longiori dilatione roborabatur. Finem faciam de hac efficaciâ, si dixerò, efficaciæ ipsi

ipsi necessariam esse efficaciam. hoc est : actiones nostræ non tantum actiones sint qualescunque sed sint activæ, sint vivæ, sint efficaces, & intensiorem vehementiamque habentes, quam fervor spiritus facit : quia fervor ignis est, ignis autem est omnium elementorum activissimum, ita & fervor omnium virtutum activissimus. Sicut flos ignis maxime agit, ita fervor, qui est flos caritatis, maxime & strenuissime operatur. Fervor ergo efficaciam, efficaciam fervorem nutriat & solidet.

Perseverantia, virtutum summa, portus, corona, finis, præmium. Utinam esset etiam earum meritum ! sed non cadit in meritum, adeo pretiosum est istud Deo donum. Et quod est perseverantiæ obtinendæ medium, quando ad eam neque omnes virtutes sufficiunt ? Gratia est Dei, medium perseverandi. huic blandiantur qui perseverare in omni bono meditantur ; illam exaltent, qui istam ambiunt, in manu gratiæ perseverantia est : gratiam apprehende, ut te coronet. Facilius habemus, quid nobis auferat perseverantiam, quam quid conferat. Nam superbia (illa præsertim quæ ex conscientia boni nascitur, quam David timuit Ps : 55. 3. Ab altitudine diei timebo :) & securitas & tepiditas, ad non perseverandum viam sternunt. Quam firmus stetit Angelus in cælo, David in solario, Petrus in Pontificis atrio ! illum tamen superbia, hunc securitas, istum dejecit tepiditas, *quia sequebatur à longe & frigebat.* Elationem, securitatem, & illi sororem, tepiditatem, fuge, qui non perseverare times, Quod si hæc faciunt non perseverant.

severa-

severare, ergo opposita his facient nostra ex parte aliquomodo nos perseverare. Humilitas cordis, timor Dei, fervor caritatis operantis & nunquam cessantis, faciunt perseverare. Quis enim corruet, si jam in humilitatis fundo jacet? Quis securus aut otiosus erit, qui Deum timet, & timendo nihil negligit? Quis non perseverabit in bono, qui ex fervore caritatis operatur bonum, & nunquam cessat instanter operari? Utiq; diligentem se Deus non abjiciet, alioqui quem retinebit? & qui otiosos vocat ad laborem, ut habeat, unde illis solvat mercedem; quomodo, qui sustinent pondus diei & astus, sine mercede divinâ expediet? denique qui humilibus dat gratiam, quomodo ab iis auferet perseverantiam? humiles spiritu salvabit Deus, & beatus est qui semper pavidus. Beati quoque servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Beate ille Virgines, quas cum venit sponsus, invenit paratas cum lampadibus ornatis, & copioso oleo instructis atque succensis: has enim secum deducet ad nuptias. His ergo omnibus insistat, qui perseverare cupit: super omnia autem, gratiæ Dei aduletur, adhæreat, innitatur, fidat, cooperetur. adhæreat ut teneatur; aduletur, ut placeat; innitatur, ut teneatur; fidat, ut juvetur; cooperetur, ut operetur, & in operando conseruetur; gratias agat, ut in eo gratia multiplicetur & confirmetur.